

num habitus exuat. JUL. FAST., c. v, § 2.

Sicut navis littori multis funibus alligata nunquam in portum progredi poterit, quantumvis vela pendantur, et remis impellatur; ita homo, licet in cepto virtutis itinere laboret, bonaque desideria velut vela explicet, nunquam tamen ad perfectionem perveniet, nisi mortificatione pravorum habituum vincula rumpat, quæ ipsum terrenis rebus alligatum tenent. *IBIDEM*, § 4.

Sicut chirurgus scindere membrum volens prius carnem mortificat, ne nimium ex sectione dolorem concipiat; ita qui difficultatem in Dei servitio occurrentem parum aut nihil sentire cupit, prius spiritum mortificare debet. *IBID.*, § 10.

Sicut si quis large cenavit, inquietum experitur noctem, cruditate stomachi et crassis vaporibus in caput ascendentibus; ita cor nimis affectionibus gravatum, mentem a somno spirituali orationis impedit, factique ut huc illuc se verset. *RODRIG.*, p. II, tr. I, c. I.

Sicut terra sibi relicta non nisi carduos, spinas, et tribulos profert; ita neque a terra terrinae nostræ sperari aliud poterit, si aratro mortificationis excolta non fuerit. *IB.*, c. v.

Sicut il, qui aliqua parte corporis fauciati sunt, semper timent ne quis ad illos accedat, et afflictam illam partem lædat; ita male mortificatus in continuis versatur angoribus, ne quod honori ipsius non respondet, ipsi imponatur aut accidat. *IB.*, c. x.

Sicut muscæ, dum succo dulcissimo pascentur, jam saturæ tenaci liquore adhærent et intereunt; ita qui dulcedinem voluptatum terrestrium avidius sectantur, manifestum animabus suis exitium creant. *BERLINC.*, in *festo S. Lawr.*, th. II.

Sicut is, qui divitias congregare cupit, etiam parva despiciere lucra non debet; ita qui virtute dives esse desiderat, etiam minimas mortificandi se occasiones negligere non debet. *JAC. ALV.*, t. II, l. II, c. IV.

Sicut modica sementis detractio non modicum affert messis detrimentum; sic modica propriæ abnegationis præmissio, quæ seminis vicem obtinet, non parvam affert spiritualis profectus jacturam. *IBID.*

Sicut Respublica a Rege suo deficiens infelici pace struitur, quamdiu a Rege ad obedientiam non adigitur; ita animus per peccatum a Deo desciscens nullam habet pacis imaginem, dum armis et vi ad sui Creatoris

obedientiam minime revocatur. *IBID.*, l. II, c. IV.

Sicut ligna prius siccanda sunt, quam igne splendente flammescant; sic mens a pravibus humoribus liberanda est, ut lucem celestem accipere mereatur. *IBID.*, l. II, c. VI.

Sicut animal immolandum prius ad gladium, quam ad ignem veniebat, et prius in fructa concidi, et excoiri, quam in holocaustum accendi debebat; ita et homo Dei se offerre cupiens, prius per mortificationis gladium interim, quam eidem Deo offerri debet. *IBID.*

UTILITAS. — Sicut exsiccatum lutum jam non porcis usui esse potest, ut ibi se volent; ita et caro per abstinentiam marcida effecta, demonibus ultra non præbebit in se quiescendi locum. *S. CLÉM. AC.*, de *Discer.*, gr. XXXVI.

Sicut lignum bene arefactum momento quasi ignem concipit; ita anima ab humoribus noxiis inordinatarum affectionum liberata facile orationis, et fervoris flamma concipiet. *RODR.*, p. II, tr. I, c. X.

Sicut penna humore gravata difficulter ad alta sustollitur, libera vero ab illo tenuissimo flatu adjuta in aera subvolat; ita mens vitis gravata, et affectibus inordinata suo pondere ad terram tendit, quæ tamen si per mortificationem purgata fuerit, sine difficultate ad cælum sublevatur. *CASSIAN.*, *Coll.* IX, c. IV.

Sicut aurum, quo magis liquatur, et a scoria seernitur, ac veluti consumitur, tanto purius efficitur; ita amor Dei tanto consummator perfectiorque evadit, quanto rerum creaturarum cupiditas amplius contrahitur, quæ si demum tota consumatur, pura erit perfectaque Dei charitas. *RODRIG.*, p. II, tr. I, c. V.

Sicut si saxum aliquod debite levigatum est, magna facilitate murarius illud, quo vult, collocat; ita homo per mortificationem bene positus, ad omnem Dei ac Superiorum dispositionem paratissimus existit. *IB.*, c. VII.

Sicut lapis in sublimi pendens, remotis impedimentis, supote ingenio centrum, velut naturaliter sibi debitum petit; ita anima nostra, sublati appetituum inordinatorum obstaculis, mox ad Deum, velut centrum suum subvolat, eumque artissimis amoris brachiis stringit. *IBID.*, c. V.

Sicut mater si infans desiderans ubera, suum desiderium tantum signis, et nutibus

declarat, renuit ac differt certe porrigere; at vero quando eum lacrymis postulat, non potest se continere, quin confestim ea tradat; sic homo, quando in oratione verbis tantum rem desideratam a Deo postulat, non tam facile impetrat, ac si etiam mortificationis opera jungat. *ARRIAS*, tr. de *Mort.*, c. XII.

Sicut vitis putanda est, ut suavissimos fructus ferat; ita homo mortificari per varias afflictiones debet, ut abunde fructificet. *JAC. ALV.*, t. II, l. II, par. I, c. V.

DIGNITAS. — Sicut si parvulus filiolus ob infirmitatem, cibum salutarem aversetur, pater primogenito imperat, ut ipse prægustans cibum, exemplo suo fraterculum alliciat ad gustandum; ita Deus videns aversionem, quam homines habent erga tribulationes, Filio suo unigenito prælibandas obtulit, ut vel illius exemplo moti homines discerent, pariter illas amare, et desiderare deberent. *IBID.*

Sicut ad templum Deo ædificandum olim ligna in monte Libano cædebantur et Jerusalemam comportabatur; ita quos Deus olim pro templo sibi in cælis inhabitando elegit, prius in hac vita per mortificationem cædere et præparare solet. *IBID.*, c. XIII.

Sicut Salomon dum mulæ regis insidebat, omnis eum Judæa Regem agnoscebat, et honorabat; ita quicumque carnem, et sensus suos subegerit, illico Rex, et Dominus sui ipsius evadit, meritoque ab aliis honoratur. *JUL. FATIUS*, c. v, § 2.

JUCUNDITAS. — Sicut elementa non citius quiescunt, quam ubi centrum attigerunt; ita homo non citius pacem obtinebit, quam si remotis per mortificationem creaturis in solo Deo, velut centro quiescat. *RODR.*, p. II, tr. I, c. X.

Sicut quamdiu venti mare agitant, tranquillum hoc esse non potest; ita nec cor hominis quiescere potest, quamdiu inordinata aliqua affectio in eodem reperitur. *IBID.*

Sicut manna non prius Israelitis datum est, quam panis Egypti defect; ita non citius celestibus consolationibus homo reficitur, quam per mortificationem terrena solatia abjecerit. *JAC. ALV.*, t. II, l. II, c. VI.

Sicut Sara, non citius concepit Isaac, seu Christum et lætitiâ, quam muliebria illi fieri desierunt; ita nec homo prius ad lætitiâ

spiritualem perveniet, quam carnalia desideria removerit. *IBID.*

Sicut olea per se sumptæ, amaræ ac gustatu insuaves sunt, at salsugine conditæ gratissimæ, et acceptæ palatio officuntur, ita animæ parum gratæ sunt Deo, secus vero, si mortificationis condimentum accedat. *IBID.*, c. X.

ÆQUITAS. — Sicut si quis cordato viro diceret, esse quempiam in domo ipsius, qui ex summo odio insidias vitæ ipsius strueret, talis utique summe, in hunc hominem excandesceret; ita erga corpus suum et passionem suas merito quis affici deberet, cum sciat ab his tantum damni, quin et ipsam mortem æternam parari. *RODRIG.*, p. 2, tr. I, 4.

Sicut equus etiam mansuetissimus nunquam facile sine freno relinquitur a sesso; ita nec animus noster ab homine sine freno mortificationis relinquendus est, quantumcumque in virtutis studio profecerit. *RODRIG.*, p. II, c. XVII, tr. 4.

Sicut qui artem aliquam exerciturus est, ante omnia quærit instrumenta apta ad illam exercendam; ita qui Religionem et perfectionem profecti cupit, mortificationis specialiter studeat, oportet; ad quid enim omnes res relinqueret, si desideria retinere liceret. *S. AUG.*, s. 13, de *Verb. Dom.*

MOTIVA.

NECESSITAS. — Quia sine mortificatione neque officio hominis, neque Christiani, neque Religiosi satisfacere quis potest, sed contingit, quod in horlo imaginibus ex myrto aut alio herbarum genere efformatis evenire videmus, ut scilicet, nisi assiduo luxuriantes herbæ amputentur, hominis aut alterius rei figura amittant. Hinc recte S. Bernardus dixit: Parum est, semel putasse, sepe putandum est, imo si fieri potest, semper quia semper, quod putari oportet, si non dissimules, invenies. *RODR.*, p. II, tr. I, c. XVIII.

ÆQUITAS. — Quid enim æquius quam ut ancilla dominari non sinatur? quid æquius, quam ut equo frænnum semper applicetur? quid æquius, quam ut hostem vitæ, et quidem æternæ, insidiantem assiduo persequamur? quid æquius, quam ut is, qui toties Dei Filium occidit, ad mortem saltem

spirituale damnetur. S. LVIII, *super Cant.*

UTILITAS. — Sive ad peccatorum remissionem obtinendam, nam per hoc, quod a licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commissimus illicita, condonantur, inquit recte S. Bernardus. S. BERN., sess. 4, *de Quadr.* 1. Et ad stipulatur S. Chrysost. dicens: Non vis a Deo castigari, nec in hac, nec in altera vita? sis Iudex tui ipsius, rationes a te exige, te reprehende, et corrige, S. CHRYS., in I COR. II. Sive ad « virtutes producendas, » nam arbores ad vites præcipue, nunquam plus fructificant, quam si diligenter suo tempore tententur: sive ad « orationem efficacem ac facilem reddendam; » nam teste S. Gregorio, mens ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his, quæ exterius implicant, subtrahatur, S. GREG., I. V. *Mor.*, c. XXII. Hinc Sponsus ait: « Vadam ad montem myrrhæ et thuris. » CANT., v. 6. quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, et per mundas et humiles orationes suaviter redolere perscipit. Ideo S. Danieli dictum ab Angelo: Noli metere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. » DANIEL, x, 12. Sive ad proximum ædificandum, cum enim plerique homines addicti voluptatibus afflictiones fugiant, vehementer admittantur, si quem cernant ejusmodi blandimenta contemnere, et mortificationem amare. Hinc S. Petrus dixit: in quo admittantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem. I PETR., IV, 4. Certe exemplum S. Dominici Loricati virgisse, donec psalterium Davidis integrum recitasset, eadentis tam efficax fuit, ut disciplinæ usus in ditione primum illa, postea in orbe propemodum toto invaluerit; sive ad crucem alleviandum, nam caro mortificata facile suffert incisionem, aut adusionem chirurgi. B. PETRUS DAM., in *ejus Vit.*

DIGNITAS. — Melior quippe est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium, PROV. XVI, 32, quia graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti, teste S. Ambrosio. S. AMBR., s. 87 de SS.

JUCUNDITAS. — Nam quando quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revoca-

ret. BLOSSIUS, de *Inst. Spir.*, c. II. Neque minoris faciendum testimonium Avilæ sic loquentis: Pone in bilancis una parte labores, et cruces hominis seipsum sponte sua mortificantis; in altera vero tormenta, quæ tepidus, remissus, negligensque Religiosus intra se persensiscit, invenies profecto mortificationes hujus, prioris illius non exaquare modo, sed et mille partibus superare. JO. AVILA, in *Op.* Nam ut bene notavit Franciscus Arrias, tales incipiunt gustum serenissimæ pacis, quæ erit in cœlis, prægustare quia ut Richardus de S. Victore notavit, duabus in rebus consistit beatitudo ut scilicet careat quis iis rebus quas habere non cupit, et ut possideat omnia, quæ habere desiderat. Utrumque autem consequitur mortificationis amator; nam cum ex amore Dei abborreat a voluptatibus sæculi, et corporis afflictiones diligat, ubicumque tandem fuerit, inveniet, quod desiderat, nec adversitatem aliquam patietur, quam non optarit; qui status hominis non est aliud, quam principium et delibatio quedam æternæ felicitatis. ARRIAS, de *Maley.*, c. XV.

MEDIA.

Christi exemplum: si enim Elephantis viso sanguine ad bellum acrius inardescunt: quidni Christianus posito ante oculos Christi tam pretioso, et quidem ob amorem et salutem illius profuso sanguine, ad seipsum et passiones suas debellandas accendatur. ROMEO, p. 2, tr. 1, c. XXXI. Hinc recte S. Cyprianus: Quis, inquit, non libenter et promptè calicem salutis accipiat? quis non appetat gaudibundus et letus, in quo aliquid et ipse Domino suo retribuatur? quis non pretiosam in conspectu Dei, et fortiter, et constanter mortem excipiat, complaciturus ejus oculis, qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobatur, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione paternæ pietatis remunerans in nobis, quidquid ipse prestavit, et honorans, quod ipse perfecit. S. CYP., I. III. ep. ul. ad *Menes.*

Oratio: sic suavitè S. Bernardus, dicens: Id quidem (nempe contra se ipsum indefatigabiliter præliari) durum. Si tuis attemptaveris viribus, tale erit, ac si in uno digitorum tuorum torrentis impetum sistere,

aut ipsum denuo coneris Jordanem convertere retrorsum. Qui facies? Quare verbum, cui consentias, ipso faciente, ut consentias. Fuge ad illum, qui adversatur, per quem talis fias, cum jam non adversetur, ut blandiatur, qui minabatur, et sit ad immutandum efficacior infusa gratia, quam inensa ira. S. BERN., s. 83 in *Cant.* Hinc merito Sanctus Paulus dixit: Omnia possum in eo qui me confortat. Non ego autem, sed gratia Dei mecum. I COR., XII, 10.

Seria resolutio: Hoc medium senex quidam suavitè, dum quærenti cuiquam, unde fieret, quod, cum tantum perfectionis consequendæ desiderium sentiat, tam parum tamen in eo studio proficiat? respondit, id unice ex defectu seriæ, et cordatæ resolutionis contingere. RODRIG., p. II, tr. x, c. XII.

Exercitatio assidua: Ut enim qui in arte militandi vel digladiandi excellere cupiunt, prius privatim se per ludia certamina exercent; ita idem faciendum ei, qui in arte mortificandi sese perfectus evadere cupit. *IBID.*, c. XIII.

Amor Dei: Fortis enim est ut mors dilectio; quia sicut mors corpus interimat, sic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit; nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Hinc Apostolus exclamatur: « Quis nos separabit a charitate Christi? »

Spes præmii: Nam omne opus, teste Sancto Augustino, leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur: et spes præmii solatium est laboris. S. AUGUST., *Epist.* 143, ad *Demetr. Virg.* Hinc merito Sanctus Paulus: Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. I COR., IX, 25. Sed et Basilii: Semper cor tuum promissa cœlestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent? S. BASIL. in *Admon. ad Fil. spi.*

Exempla sæcularium considerare: Illudque S. Augustini sibi de his dictum applicare: Potuerunt isti, et istæ (milites, mercatores, agricolæ, aulici, pauperes, ægri) et tu non poteris? ARRIAS, de *Mortif.*, p. III, c. X.

Victoria frequens in minoribus rebus: ut Eusebius, teste Theodoro, faciebat, causamque hujus studii rogatus, respondit, quod hæc ratio, et graviores tentationes in leviores convertantur, et ac in his, si quis succumbat, parum deperdat, si vero vincat,

diabolus magnopere confusus recedere cogatur, utpote triumphare, se ne in parvis quidem de tali homine triumpare posse.

Opinionis correctio: Toties mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse, quidquid facere non possunt, et aiunt nos loqui majora, quam quæ natura humana sustinet; at quanto ego de illis melius existimo! ipsi quoque hæc possunt facere, sed nolunt. Denique quem unquam ista destituisse tentantem? Cui non faciliora apparere in actu? non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt. Vere notavit idem Philosophus, nos umbris nostris terri, quæ luce experientiæ dissipantur: « Multa, » inquit, « per noctem habita terrores dies vertit in risum. » SENECA, *Ep.* CIV.

S. Anselmus quoque ex istis verbis: *Si quis vult, etc.* recte colligit, Christum uti gratia excitante prevenit voluntatem, ita ubi illa consensum præbuit, ejusdem gratiæ subsidio operantem comitari, et laborantem sublevare. Arsenii celebratur pronuntiatum, teste S. Dorotheo, eum, qui se vincere conatur, experturum Domini auxilium, ita facile id efficitur, quod sibi difficultatis implexum videbatur. Hinc sanctus Gregorius Nazianzenus Dei bonitatem admirans exclamatur: « O faustam contrahendi cum Deo rationem! hoc bonum solo voluntatis pretio emendationi tibi proponitur. » S. ANSEL., de *Mensur. crucis.*

ASCETICA.

Octo potissimum sunt capita, quæ de hac virtute bene addiscere, aliisque inculcare debet Asceta: « Primum est, ut bene ad discat naturam, et substantiam mortificationis, » quæ quidem in eo fere consistit, ut inferior animæ pars seu appetitus sensitivus, superiori ejusdem animæ parti, id est, rationi perfectæ subiciatur, et sicut homo per peccatum spoliatus est gratuitis (id est, donis supernaturalibus) et vulneratus in naturalibus (id est, imaginationem nactus inconstantem, memoriam dispersam, intellectum obscuratum, voluntatem ad malum proclivem, et ad bonum languidam) ita mortificationis beneficio duplex hoc malum a se removeat, sequæ in antiquum justitiæ originalis statum, quoad cum divino auxilio fieri potest, reducat, ne aliqui sensualem

sum appetitum secutus, in se verificet illud propheta: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. *RODR.*, p. II, t. I, c. II, Ps. XLVIII, 13.

« Secundum est, ut bene apprehendat axioma illud a Christo propositum, cui tota mortificationis praxis innitur: Qui amat animam suam, perdet eam: et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam, » quod sellect odium sui quoad inferiorem partem sit verus amor sui quoad superiorem partem, quatenus per hoc odium procuratur animæ verum ac summum bonum, quod est beatitudo, cujus etiam corpus olim suo modo fiet particeps. Unde qui sic se odit, perinde censebitur agere, ac is, qui ut vitam salvet corporis, illud incidit, et uri patitur, multaque ab eo desiderata objecta negat; cum e contrario alius omnia appetit sui vitiosus concedens, et per hoc sanitatem magis destruens, verius se odisse dicatur. *MATT.*, XVI, 25. *RODR.*, p. II, tr. I, c. VIII.

« Tertium est, ut sciat, quem ordinem in mortificationis exercitio observare debeat, » nimirum ut 1. in rebus ultro obvientibus, sive ex rigore Superiorum, sive imperfectione Fratrum, sive difficultate officiorum id contingat, mortificare nos discamus. 2. Ut inde gradum ad res necessarias, id est, ab observatione mandatorum aut regularum impediens, faciamus. 3. Ut etiam in licitis nos superare assuescamus. 4. Ut opera ex obligatione obunda, non ex necessitate, aut consuetudine, sed unico voluntatis et beneplaciti divini implendi desiderio, peragere studeamus. *IB.*, c. XII et XIII.

« Quartum est, ut solitam discat praxim, hoc mortificationis exercitium fructuose instituendi, » quæ quidem in tribus fere præceptis consistit. 1. Ut non conjunctim, sed per partes hoc studium arripiat: nam, ut bene advertit S. Macarius, quemadmodum in utero imperfectus infans non quam primum crescit in hominem, sed paulatim formatur, ac gignitur; ita in rebus quoque spiritualibus paulatim augetur homo, evaditque in virum perfectum, et plenitudinem ætatis. Certe ipse Deus mundum non uno (ut tamen æque facile potuisset) sed sex diebus produxit, ut vel suo exemplo prudentem in studio perfectionis maturationem doceret. *S. MACAR.*, *Hom.* xv. 2. Ut initium fiat ab iis, quæ validius nos occupant, et

graviora mala accersunt. Ita Cassianus suasit his verbis: Ita adversus vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium, quo maxime infestetur, explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem mentis curam ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque desiciens. Cumque ab eo se senserit absolutum, rursus latebras sui cordis simili intentione perlinstret, atque exploret, quam sibi inter reliquas passiones perspexerit di-riorem, atque adversus eam specialius omnia Spiritus arma commoveat. *COLL.*, v, n. 74. 3. Ut discrete hoc negotium assumat: nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, sic necesse est, ut artem continentiam tenet quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat, nam plerumque dum plus nimio caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque, vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se fraditus suffocare festinat. *S. GREG.*, I, XXX, *Mor.*, c. XXVIII. Optimus est in omni re modus, et laudabilis ubique mensura (inquit recte S. Hieronymus) corpus non frangendum sed regendum est. *S. HIER.*, ad *Demetriad.* Regulam autem pro hac discretionem optimam assignat sanctus Augustinus, dum enarratis gravibus sanctorum sui ævi poenitentis subjungit: Charitas præcipue custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse a Christo et Apostolis, ut si hæc una absit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia. *S. AUG.*, in I. de *Morib. eccl.*, c. XXXV.

« Quintum est, ut fraudes diaboli in hoc studio occurrentes bene intelligat, et prudenter declinare studeat. » Pro quibus dig-noscendis noverit triplex esse hominum genus ejusmodi fraudibus obnoxium. Primi sunt, qui natura difficili præditi, gravem ad virtutes exercendas repugnantiam sentiunt; ideoque ruinæ se proximos arbitrantur. Quibus proinde sæpe illa Doctorum et SS. PP. regula: « Non nocet sensus, si absit consensus, » objicienda est. Alii sunt, qui, quia naturaliter sortiti sunt animam bonam, nullam in ulla prope re difficultatem sentiunt: qui proinde monendi, ne propterea altum sapiant, aliove despiciant, aut socordiae occasionem arripiant, sed potius infirmitati suæ atque fragilitati

adscribant, quod in graves tentationes cadere non sinatur. Ultimi sunt, qui altissima pace, non propter virtutis studium, nec per naturæ bonitatem obtenta fruuntur, sed quia omnia indulgent appetitui, quibus proinde id, quod senior quidam similis generi Monacho dixit, exprobrandum est: Similis es portæ, per quam quisquis vult, ingreditur, et egreditur absque eo, quod sciat quid intus geratur; unde quia hostibus omnia patent, in perpetuo versantur animæ periculo, quod tunc primum intelligent, quando, ut avis laqueis irretita, avolare voluerint. *RODR.*, p. II, tr. I, c. XVII.

« Sextum est, ut bene cognoscat necessitatem hujus mortificationis, maxime respectu illarum personarum, quæ salutem proximi curandam susceperunt: » hoc enim multiplex ratio ad hoc studium jure merito impellere debet. 1. Quia in medio nationis præve versantur, atque adeo majorem delinquendi exorbitandique occasionem habeant. 2. Quia cum omnibus omnia fieri debeant, ut omnes lucrifaciant, merito magnum requiritur passionum dominium, ut cum gaudentibus gaudere, et cum tristibus tristari quis innoxie possit. 3. Quia cum summa inter operarios ejusmodi unio requiratur, necesse est, ut non quod sibi utile est, sed quod multis, considerent, quaerantque id, quod neutiquam sine mortificationis exercitio obtineri potest. 4. Quia etiam orationis exercitium ejusmodi personis apprime necessarium est, ut manentes in Christo tanquam vite, faciant fructum multum; hoc autem sine mortificationis studio obtineri non posse, tum ex supradictis, tum ex quotidiana experientia patet. *RODR.*, p. II, tr. I, c. VII.

« Septimum est, ut bene cognoscat quid sit mors spiritualis: » a quo mortificatio nomen accepit, nempe quod tunc aliquis mortuus mundo dicatur, quando ab omnibus, quæ mundus amat, animum cohibet, nulla blanditiarum ejus et voluptatum cupiditate tangitur, eumque ad illas degustandas sollicitare, cruciare est: quia, ut ait S. Bernardus, crux illi est omne, cui mundus inhaeret. Magnum est inter mortem corporis, et hanc, quam mortem spiritus vocamus, discrimen. Illa in instanti conficitur, hæc paulatim, et totam fere vitam occupat: illa omni sensu, et actione hominem privat, hæc sensum non tollit, sed consensus: nec operandi facultatem extinguit,

sed in meliorem partem eam detorquet, impeditque, quo minus aliquid contra Deum, vel amorem sanctum audeat: illa hominem truncum reddit, ad omne bonum, omnemque cum hominibus consuetudinem inutilem: hæc alacriorem efficit, et ad omnia publicæ rei, hominumque commoda procuranda expeditum, sibi que et multis proficuum, quia quod corruptionis ab Adamo contractum est, instaurat, omnesque animi, corporisque facultates in meliorem statum restituit: quod ex parte significare voluisse videtur Apostolus dum dicit: Vivo, ego, jam non ego; vivit vero in me Christus.

« Octavum est, ut post victoriam, per mortificationem obtentam meminerit, debitam Deo gratias referre: » nam, ut sapienter Origenes advertit, moris est sanctorum ubi adversarius vincitur, tanquam qui sciant non sua virtute, sed gratia Dei victoriam factam, hymnum Deo gratulationis offerre, accipiunt hymnum canentes, etiam tympanum in manibus suis, sicut de Maria sorore Moysis et Aaron refertur. Et tu ergo si mare Rubrum transieris, si Ægyptios in mari submergi videris, et extingui Pharaonem, atque in abyssi profundum præcipitari, potes hymnum canere Deo, potes vocem gratulationis emittere, et dicere: Cantemus Domino etc. Melius autem et dignius hæc dices, si habueris tympanum in manu tua, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiiis, et concupiscentiis, si mortificaveris membra tua, quæ sunt super terram: hæc enim via est, quæ ad veram promissionis terram, id est, ad celum nos secure perducit. *ORIG.*, hom. 6, in *Exod.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert; » in prima parte ostendi potest, quomodo homo mortificatus sit verum granum frumenti; quia per multiplices afflictiones flagellatus, ventilatus, cribratus, et a paleis imperfectionum liberatus est. In secunda ostendatur, quomodo in terram projici, et mori debeat, omnem vitam sensualem amittendo; ita ut non jam per potentias suas quaerat, quæ sua

sunt, sed quæ Jesu Christi. In tertia tandem explicetur multiplex fructus, quem tale granum affert, dum scilicet Deo singulare beneplacitum, sibi grande meritum, proximo levcherrimum exemplum, et defunctis non leve solatium causat. De qua materia videri potest Faber, conc. 4 pro festo S. Laurentii.

Ex occasione thematis : « Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam : » ostendi potest, quomodo odisse debeamus nos, et nostra (hæc enim intelliguntur etiam per animam) ut ea pro altera vita custodiamus. 1. Ergo ostendatur, quomodo amicos. 2. divitias. 3. gloriam et honorem. 4. formam et venustatem corporis. 5. corpus. 6. vitam corporalem odisse debeamus, atque ad singula demonstretur, quomodo per tale odium melius, quam per amorem conserventur. Qua de materia iterum videri potest Faber, conc. 7 in festo S. Laurentii. Jo., 12, 25.

Ex occasione thematis : « Eamus et nos, et moriamur eum illo; » comparari potest mortificatio mortis, idque probari ex quatuor conditionibus a Seneca morti attributis, dum dixit : Mors est naturæ lex, tributum, officiumque mortalium, malorumque omnium remedium. 1. Itaque ostendatur, quod etiam mortificatio sit lex ab ipso Christo lata, dum dixit : Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. MATT., XVI, 24. Quam quidem legem verbo et exemplo Christus promulgavit, hinc tanta ejus vis est, ut ipse Christus dixerit : Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. 2. Probetur, quod sit tributum, juxta illud Apostoli : Ergo, Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. ROM., VIII, 42. 3. Quod sit officium hominum; JOB., VII, 1, quia militia est vita hominis super terram; et quia regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. MATT., XI, 12. Hinc S. Augustinus ait : Hoc est opus vestrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuire, frænare, intermere. S. AUG., s. XIII, de Dom. 4. Quod sit malorum omnium remedium : quia tollit concupiscentiam, quæ omnium malorum radix est, juxta illud S. Jacobi : Unde

bella et lites in vobis? nonne hinc, ex concupiscentiis vestris? JAC., IV, 1. Concludatur ejusdem Senecæ verbis? Omnibus omissis hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis (et mortificationis) nomen reformides. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt apud Nieremberg, lib. III Doctrin. ascet., 3, cap. xxvii et seq.

Ex occasione sententiæ : « Propter te mortificamur tota die » : explicari potest necessitas, æquitas, utilitas, dignitas, et jucunditas mortificationis, juxta ea, quæ jam fusiùs sunt dicta. Ps. XLIII, 22.

Ex occasione thematis : « Mibi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; » GAL. VI, 1, ostendatur : 1. Quid sit esse crucifixum mundo, scilicet ea, quæ mundus æstimat, et amat, fugere, et odisse; et quæ ille fugit et odit, amare, et æstimare, quemadmodum S. Ignatius socios suos hortatus est. 2. Ostendatur, quam pretiosa sit hæc mors in conspectu Dei, quamque merito sperare possit talis, quod sicut socius Christi fuit in cruce, sic socius quoque in gloria sit futurus. Vide Rodr., p. II, tr. I, c. ult.

Ex occasione thematis : « Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me; » MATT. XVI, 24; dicatur, Christum in cathedra crucis docuisse veram Philosophiam, quam, ut olim Philosophi, in duabus tantum voculis constituerunt, scilicet, abstinere et sustinere, quarum primum indicaverit vocibus illis : abneget semetipsum : alteram vocibus : tollat crucem suam. Ostendatur dein, quam æquum sit, ut omnes Christiani ad hanc scholam veniant, et Philosophiam hanc avidè addiscant, tum ob præstantiam Magistri, tum ob excellentiam ipsius scientiæ, utpote quæ sola veram animæ tranquillitatem, verosque honores et gloriam in hæc et altera vita afferat.

Ex occasione thematis : « Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud; » ostendatur, quam vere dixerit Thomas Kempensis : Tantum proficere, quomodo tibi vim intuleris. Quia qui vere mortificatus est : 1. Proficit in virtute charitatis, quæ radix est aliarum virtutum, cum augmentum charitatis sit immunitio cupiditatis. In gratia, quæ tanto major datur, quanto difficilior, et præstantius opus patratum est. 3. In divitiis, et meritis cælestibus : quæ gra-

tia correspondent. 4. In honore, et gloria, quæ propter tam excellentem victoriam oblinentur. 5. In pace, et animi jucunditate, quia vicenti dabitur, manna absconditum, hinc, et Israelitæ prius hostes vincere debebant, quam in terram lacte, et melle manantem fuerint introducti. Videri potest Arrias, de Mortif. l. I, c. 3, 14, 15 et 17. Item Jac. Alvarez tom. II, lib. II, part. 1, tota.

Ex occasione thematis : « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; » AROC. III, v. 21, ostendatur victoriam omnium præstantissimam esse victoriam sui ipsius. 1. Quia difficilis ob hostis potentiam; quis enim habet fortius certamen, quam qui nititur vincere seipsum? inquit recte Thomas Kempensis; non enim est molestior, et peior animæ hostis, quam tu ipse non bene concordans spiritui. L. I, c. III. L. III, c. XII, 2. Quia longissima; nam bellum militum breve, sed monachi (imo cujusvis etiam hominis) pugna, quoad vixerit, durat, teste S. Ephrem. 3. Quia generosissima cum aperto semper Marte, et campo sit obtinenda. 4. Quia efficacissima : qui enim seipsum vicerit, cætera facilius subjugabit. Perfecta ergo victoria est, de semetipso triumphare. Hoc itaque sit negotium nostrum, vincere seipsum, et quotidie seipso fortiolem fieri, atque in melius proficere.

Ex occasione thematis : « Quid dabitur viro, qui percusserit Philistæum; » I REG. XVII, 20, ostendi possunt fructus mortificationis, et probari, quod idem præmium, quod Saul olim percussori Philisthæi promisit, daturus sit Deus illi, qui seipsum, velut robustissimum Philisthæum, et carneam turrim vicerit. Nam 1. Dabitur divitiis multis : iisque veris, scilicet virtutibus, et meritis cælestibus, ita ut vere de tali dici possit : Multæ filiæ (et duces) congregaverunt divitias (per varias victorias contra hostes carnales), tu supergressa es universas. PROV. XXXI, 29. Filiam suam dabit illi uxorem, et per hoc ad summos honores, et dignitates elevabit, dando calculum candidum, et in eo scriptum nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit. 3. Et « domum Patris ejus faciet absque tributo scilicet miseræ, et tristitiæ, quibus vita humana subiecta est, quia dabit manna lætitiæ absconditum, et pacem animi perfectissimam. Excitentur igitur Auditores ad hunc

hostem fortiter aggrediendum, et generose debellandum.

Ex occasione thematis : « Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël; » 2. MACH., c. xv, 26, proponi potest medium efficacissimum ad concupiscentiam, velut hostem fortissimum vincendum, scilicet gladius S. Michaelis : quis ut Deus. Ostendatur ergo, quomodo per hunc gladium facili negotio vincatur concupiscentia divitiarum, qui Deum habet, auctorem omnium divitiarum habet, ut adeo intrepide dicere possit : Dominus regit me, et nihil mihi deerit, si enim non est inopia timentibus eum, quanto minus erit amantibus illum? 2. Ostendatur, quam efficaciter per hunc gladium superetur concupiscentia carnis, cum, gustato spiritu, et Deo, desipiat omnis caro : hinc S. David dixit : Renuit consolari anima mea, memor sui Dei, et delectatus sum. Ps. LXXII, 6. 3. Pariter ostendatur, quam potenter quoque superbia vitæ, seu concupiscentia bonorum, hoc gladio superetur, cum Deum amare sit summus honor, et dignitas, juxta illud S. Augustini : Si terram amas, terra es : si Deum amas, quidvis, ut dicam? Deus es. Ut adeo vere dixerit S. David : Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Ps. CXXXVIII, 17. Excitentur proinde Auditores, ut petant hunc gladium a S. Michaeli, dicantque cum Davide : Non est huic alter similis.

Ex occasione thematis : « Vivo autem jam non ego; vivit vero in me Christus; » I REG. XXXI, 9, dici potest omnibus nobis Christus propositum esse tamquam exemplar, cui vitam nostram tamquam imaginem conformemus. Itaque 1. Ostendatur, quomodo per asciam mortificationis superfluas partes in capite, oculis, labiis, manibus, et pedibus abscindere, et abjicere debeamus, ut prodeant membra Christo conformia. 2. Ostendatur, quantus hinc fructus, et gloria speranda sit, nempe quod, ut imago Christi magno in honore habendi, et plurima beneficia corporalia, et spiritualia per nos, ut imagines Christi, Deus hominibus collaturus; et tandem omnino in cæleste templum suæ gloriæ translaturus sit. Excitentur proinde Auditores, ut sæpe quærant : cujus est imago hæc? et si nequid Christi imaginem esse advertant, reformare, Christoque conformare studeant.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Philippus Nerius dicere consueverat, veram sanctitatem in quatuor digitis consistere, quod dicens, frontem tangebatur, insinuare volens rationalis partis mortificationem. MANSI, d. VIII, n. 8.

S. Anselmus in illa verba Pauli: « Exhibens hostiam viventem, » sic loquitur: Hostia quippe immolatur, et viva est, quando, et ab hac vita homo non deficit, et tamen se a carnalibus desideris occidit. Hostia enim occiditur, ut offeratur, sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum, quod, et hostia dicitur, et vivens, quia vivit in virtutibus, et est a vitiiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum: vivens autem, quia cuncta quæ prævalent, bona operatur. S. ANSELM., in c. XII Rom.

Notandum est Apostolum non de una solum corporis nostri parte loqui, sed absolute dicere: Corpora nostra: quia non unus dumtaxat sensus mortificari debet, sed omnes: debent enim esse holocaustum, quod est perfectissimum sacrificium, quo omnia in Dei honorem consumuntur. Unde interpres quidam ait: Diminutam oblationem Deo offerunt, qui membrum aliquod mortificant, non omnia. Et Sanctus Hieronymus ad Celantiam ita scribit: Quid autem prodest extenuari abstergentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallorum jejuniis, si invidia lividissimus? quid virtutis habet, vinum non bibere, et ira atque odio inebriari? MANSI, d. VII, n. 7.

Olim a primis mundi natalibus, ut S. Irenæus observat, inventum est cilicium? ut in natura corrupta caro per hoc reprimetur. Idem quoque Sanctus indagat, quodnam in eo lateat mysterium, quod, mox, ut primi Parentes nostri divinum prævaricati sunt præceptum, carnisque suæ experti sunt rebellionem, eandem carnem foliis ficus, non vero aliis frondibus delicatioribus confecerunt; dicitque, ipsos ideo hoc fecisse, quia folia ficus aspera sunt, et pungitiva, ut hac ratione aliqua ex parte corpus suum rebelle macerarent. S. IRENEUS, l. III, cont. Hæres., c. III.

Sanctus Martinus aliquando circa vesperam quemdam Parisiis offendens aurigam, ab eodem, ut currum condesceret, rogatus fuit; cui Sanctus: Si modeste, et discrete rotas promoveris condescam; sin minus, nunquam: quibus verbis se illum ratus auriga, equos agitare cepit, in quo proinde violento cursu ruptæ fuerunt rotæ, dum quæ iis resarciendis insudaret, tantam fecit temporis jacturam, ut ad urbem accedere prohiberetur, præventus a tenebris. Ita quoque quamplurimi in perfectionis quadriga gradientes, magnos meditantur facere progressus, eoque sine multis sine obedientia, et discretione aggrediuntur austeritates suis superiores viribus, laborant, debilitantur, et tandem perseverare non volentes retro respiciunt, nauseam replentur, aut certe complexionem suam penitus debilitant. MANSI, d. X, n. 7.

NECESSITAS. — Deus a principio mundi hominem vitam impertiens, ut sacer Chronista scribit, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. At vero si hujus scire vultis mysterium, Sanctum Ambrosium auscultate dicentem: Nunc intelligo, qua de causa Deus insufflaverit in faciem hominis: ibi enim sunt sensus omnes, ibi sedes atque illecebæ delectationis in oculis, auribus, naribus, atque ore, ut sensus nostros adversus delectationes fortiores faceret, atque eos sanctificaret, ne aliquid profanum aut falsum deferrent in animum. S. AMBR., ad Sabin.

Sanctus Bernardus hanc virtutem parisi durationis esse debere dicit, cujus est vitæ nostræ respiratio: sicut enim pro conservatione vitæ necessum est, ut hæc nunquam deficiat, ne quidem pro brevissimo temporis spatio, quia alias homo ipse esse desineret, et moreretur: ita quoque desinente in nobis mortificatione, vita quoque spiritus, et gratia in nobis deficiet. Queris, in quo sit respiratio ista? inquit sanctus Bernardus, in eo si incipiat spiritus vicissim concupiscere adversus carnem: huic si repugnans, respiras; si spiritu facta carnis mortificas, respirasti; si hanc cum vitiiis, et concupiscentiis, suis crucifigis, respirasti. « Castigo, » inquit Paulus, « corpus meum et in servitutem redigo, » vox est respirantis: imo qui jam respirat; vade, et tu fac similiter. S. BERN., s. 37, in Cant.

ÆQUITAS. — Ingeniosa est illa S. Bernardi ponderatio, qua illos perstringit, qui

primo Parenti nostro ideo indignantur, quia obtemperando conjugis suæ beneplacito nos omnes in profundum adeo barathrum protraxit; at vero audite, quamobrem illos hac de re reprehendat: ita enim scribit: Indignantur adversus Adam, quod obedierit voci uxoris suæ plus quam Dei, et ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet, audiunt plus, quam Deum. Id., ser. de Om. SS.

Si quis cordato alicui viro diceret: Scias, velim, esse quempiam ex hac ipsa domo tua, et ex familiaribus tuis, qui struit insidias vitæ tuæ; quam (Deus bone!) expaveret! quod si adderet his: Odium, quod adversus te gerit domesticus ille tuus, tam atrox est, ut ipse vel suam etiam mortem contemnat, dum videat tuam: quin etiam scit, et vincula ipsum manere, et carceres, et mortem crudelissimam, et quidem mox post patrum scelus: et tamen hæc omnia lusum ducit, dummodo lanienæ te tradat. Quid, obsecro, animi huic foret? quo odio in cædis hujus machinatorum exardesceret, si eum nosset? quam vindictam in eum non excoigaret? En tibi, hostis hic noster, corpus est nostrum: nobiscum bibens, et comedens, ingrediens, et egrediens: minime etiam ignarum, malum animæ nostræ esse, et suum; inferorum incendia ex æquo utriusque suo tempore cessura. Quo tamen non impediendo, ut gustet modicum quid voluptatule sensualis (quod citius sæpe præterit, et terminatur, quam sentiatur) supplicia contemnit omnia, ipsum etiam vae æternitatis. RODR., p. II, tr. I, c. IV.

Raphael Archangelus Tobie peregrinanti præcepit, ingentem illum a se captum piscem exenteraret, reservando sibi illius interiora fel scilicet, et cor: Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extrahit omne genus daemoniorum: fel valet ad unguendos oculos, in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. Ecce igitur tibi potentissimum quoddam remedium ad superandum universum infernum, omneque genus daemoniorum; sive sint spiritus fornicationis, sive odii, sive invidiæ, sive cujuscumque alterius. Ecce tibi pariter ad acquirendum verum lumen, et Dei notitiam exquisitum remedium: solum curate, ut cor vestrum conjugatur cum felle virtuosæ cuiusdam mortificationis, et super ignem amoris Dei collocetur. Sic enim extrahit omne genus daemoniorum, vosque in omni

tentatione victores remanebitis. MANSI, dis. XII, n. 6.

DIGNITAS. — Richardus de sancto Victore ait, sponsum per illa verba: « Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham, etc., animam electam monere voluisse, ipsam, postquam se in actibus mortificationis exercuit, ad culmen virtutum feliciter pertigisse; quasi diceret: Afflictionem penitentiae tolerasti, pugnam tentationum, laborem correctionis morum, et venisti ad messem perfectionis virtutum. Messui itaque in te myrrham cum aromatibus; quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt, et perfecta in te virtutum aromata. » RICARD., in c. v Cant.

Sanctus Hieronymus curiosum quoddam movet dubium, quenam causa sit, quod Deus per altissimam suam sapientiam disposerit, ut in templo Hierosolymitano tam celebri, et famoso, suppellectileque valoris inestimabilis locupletato, in ejus honorem non cerei, sed lampades oleo instructæ arderent, cum tamen cera mundior sit, nobilius quoque nutrimentum lumini præbeat, lumenque clarius, magisque perspicuum pariat quam oleum. Respondet vero, ceram ab apibus elaborari, quæ mel conficiunt, quod in cellulis ex cera fabricatis reconditur: e contra vero oleum ex olivis exprimitur, quæ amara sunt. Voluit igitur non cereos in templo ardere, sed lampades oleo instructas, ut per hoc innuat, quantum sibi mortificatio præ quavis alia virtute placeat. In Domini sacrificiis mel non offerunt, inquit sanctus Hieronymus, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur olivarum. Pascha quoque cum amaritudinibus comedi in azymis sinceritatis, et veritatis jubetur. Unde colligitur, quod, ubi aliqua, quantumvis distans, hujus virtutis umbra reperitur, ab illa se Deus honorari censeat. S. HIER., l. II, ep. XVI.

Quam grata, et amabilis Christo mortificatio fuerit, suo nos ipsemet exemplo docuit; siquidem de illo sanctus Paulus ait: « Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusionem, contempta. » Biblia Regum legitur: « pro gaudio, quod habebat, sustinuit crucem. » Quibus verbis Apostolus, ex mente Ruperti Abbatis, dicere voluit: « æternum Patrem in primo instanti conceptionis Filii sui, eidem proposuisse hanc optionem; an in hæc terras et venire pla-

ceret, ut mundum redimeret per gaudia, non vero per passiones; an vero per passiones hominem vellet redimere, non vero per gaudia; ipsum vero crucem gaudii prætulisse; ideo dicit Apostolus: « sustinuit, » seu, ut melius dicam, elegit crucem, « confusione contempta; » id est, non obstantibus opprobriis, et contumeliarum confusionibus, quas passurus erat; imo hæc unico volebat, et ardentem desiderabat. Ac proinde Apostolus ad mortificationem amplectendam nos animare volens, subjungit: « Cogitate nos, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes; nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantem. » RUPERTUS ABB., in c. II. Heb.

Dum pro sacrificio incruento offerendo altare accedimus, ut illud Deo tanto reddamus acceptius, illa Psalmi XLII, recitare solemus: « Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: » per hoc autem instrumentum musicum, citharam videlicet, mortificationem intelligere possumus; chordæ enim, quæ in hoc instrumento plectro tanguntur ex mortuorum animalium sunt confectæ nervis; per quos sensus, et appetitus nostros, si non mortuos, saltem mortificatos intelligere possumus. Chordæ citharæ alienjuss extenduntur, ut sonum edant; si enim laxatæ fuerint, gratum sonum resonare nequibunt. Idem quoque circa sensus nostros contingit: nisi enim hi mortificati fuerint, gratum Deo sonum edere non poterunt. Cithara fit ex sicco, subtili, maturo, et artificiose polito ligno; ita pariter quanto corpus nostrum magis extenuatum, et ab omni inordinato affectu mundatum fuerit, tanto gratiorem Deo harmoniam edet. MAN-
SI, *dis.* 1, n. 7.

D. Chrysologus in illud Apostoli: Obsecro vos, Fratres, ut exhibeatis, etc. sic ait: Apostolus rogando sic omnes homines, ad sacerdotale fastigium provexit, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam. O inauditum Christiani Pontificatus officium! quando homo sibi ipsi est et hostia, et sacerdos; quando homo non extrinsecus, quod Deo est immolaturus, inquit; quando homo secum, et in se, et quod pro se est, Deo sacrificaturus apportat; quando, et eadem manet hostia, idem permanet, et sacerdos; quando hostia mactatur, et vivit sacrificium, ubi corpus sine corpore, sine

sanguine sanguis offertur. S. CHRYS., *ser.* X.

FACILITAS. — Novit Deus suæ gratiæ subsidium nobis esse perquam necessarium, illamque libentius elargitur, quam ad eam flagitandam prompti simus; quod triplici similitudine declarat. S. Macharius: Si aliquis filium suum vellet ad instar avis volare et sursum ferri, ei alas subministraret; item si in regionem longinquam emitteret, ubi sciret illi cum venenatis serpentibus negotium fore, illum pharmacis, et antidotis communiret: denique si juberet illum mare trajicere, instrueret navim, qua vehi posset, ne, si nando id agere tentaret, fluctibus obrutus submergeretur. Vult Deus nos in perfectionis montem quam volando evadere: vult cum daemone, mundo, et carne, virulentis bestiis, collectari: vult per hujus vitæ tempestuosum fretum, ad æternitatis portum cursum dirigere: quis est paternorum viscærum, quibus Deus plenus est, tam ignarus, ut putet, de rebus ad hæc necessariis non continuo nobis provisorum? PANNEO., in *Isag.*, p. II, c. VII, n. 6.

Quintilianus ait: res inter initia vitæ, sed consuetudine mollescere: quod medicinæ similitudine emaciatius ostendit. S. Ansenus: hæc enim accepta, et in stomachum transmissa convulsiones, et vomitus provocat, ac ægrum ad querelas, et in medicum convicia jacenda compellit; ubi vero aliquot horarum lapsu malignos humores hinc inde collectos expulit, ubi caput, et stomachum, aliasque corporis partes sublevavit, tum demum, et medicus, et medicina laudatur. Ad hunc modum divina gratia in animam a Deo immissa, primo cum vitis, et malis affectionibus congressu, omnia interiora tumulta et seditione complere videtur: postea vero ad instar apsis in alveolo, et ita illa in corde hominis, suum mel, ab aspectu hominum abscondita, et retrusa, suaviter operatur, ut notat S. Macarius; aut, ut ait S. Diadochus, ad instar pictoris in officina sua conclusi, qui paulatim imaginem suam efformat, ac primo crassiores colores subternendo tum alios pulchriores apponendo, denique præstantissimos cum subtilibus lineamentis ex arte deducendo picturam effingit, spectantium oculis acceptissimam: ita cum anima nostra divina agit gratia. IBD.

PERSEVERANTIA. — S. Chrysostomus super illa verba: « Propter te mortificamur

tota die, » ita scribit: Quandoquidem fieri minime poterat, ut, qui homines essent, ii, infinitas mortes tolerarent, ostendit, ne hæc quidem ratione præmia esse imminuta; nam ut natura sortiti id simus, semel tantum ut moriamur, tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit Deus. Unde liquet fore, ut cum tot hinc coronis discedamus, quot dies hic vixerimus, imo vero multo pluribus: licet enim die uno, et semel, et bis, et sæpe mori. Qui igitur ad id comparatus fuerit, is semper mercedem absolutam recipit. Hoc igitur, et Propheta significans, dixit: « Propter te mortificamur tota die. » S. CHRYS., h. XV, ad Rom.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Augustinus docet, sicut in templo Salomonis duo fuerunt altaria, unum exterius, ubi victimæ sacrificii deputatæ cedebantur, alterum interius intra Sancta Sanctorum, ubi diversa generis incensa offerbantur; ita et in nobis debere esse duo altaria, unum intra penetralia cordis, in quo incensum orationis adoleatur, alterum exterius in corpore, quod est sancta mortificatio. S. AUG., s. 235, de Temp.

Quidam Frater dixit ad senem: doce me Pater: et respondit senex: vade, ama tibi ipse vim facere. Evagina gladium tuum, et exi in bellum. Cumque diceret Frater: non permittunt meæ cogitationes, dixit iterum senex: scriptum est: Invoca me in die tribulationis tuæ: eripiam te, et glorificabis me. VITA PP.

S. Bernardus dicere solebat religionem ingredi cupientibus: Attendite filii, ut solus in monasterium vestrum spiritus ingrediat, corpus autem foris remaneat. In VITA. BLOSIVS, *Inst. spir.*, c. II.

Ludovicus Blosius virum vere mortificationem pulcherrimo uvæ botro, maturo, excocto, dulci ac sapido comparabat; male vero mortificationem botro acido, duro, amaro, gustique ingrato, conformiter illi propheto: Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruscas. IS., VII, 4. SÆTON., c. VIII, in Tit.

Cæsar, quando dies elapsus est, quo non meminisset, se beneficium alicui contulisse, dicere solitus erat: Amici, diem perdidit,

quasi diceret: Hodie Imperator non fui, non enim minus proprium est homini passionibus dominari, quam Cæsares beneficiare. SÆTONIUS, c. VIII.

Abraham immolaturus Isaac, gladium et ignem portavit. Idem faciat, qui se immolare cupit, ignem portet orationis, et gladium mortificationis. LYRÆUS, I, II, Apoc. 3.

NECESSITAS. — Mens est chara virginea in qua non scribitur, nisi bene sit lævigata: est lignum, quod non accenditur, nisi bene sit arefactum: est pluma, quæ non attollitur, nisi ab omni humore liberata. RODRIG., p. II, tr. I.

Abbas Nilus dicebat: Si Moyses prohibitus fuit accedere ad rubrum, donec calceamenta de pedibus detraxit, qua fronte nos ad videndum per orationem Deum accedere audebimus, terrenarum rerum affectu non dum exuto? T. 3, Bib. SS. PP., c. III.

Moysi Deus in rubo apparuit, ut significaret, populo Israelitico, cum nonnisi per difficultatum spinas ad promissam terram evasurum, rosasque felicitatis capturum. L. I, de Cain, c. VII.

Ideo juxta S. Ambrosium Ægyptii abominati sunt pastores, quoniam, qui passionibus serviunt, et voluptatibus indulgent, doctorem virtutis quadam detestatione declinant.

Pythagoras cum cognovisset quemdam ex familiaribus se edulis probe saginare, dicebat illi: Non desines graviorem tibi ipsi carcerem parare. S. BASIL., h. XXIV, *ex var.*

UTILITAS. — Socrates a medico incontinentis et ebrius judicatus, dixit: Omnino talis fuisset, nisi me Philosophia, et continuum vincendi studium cohibuisset. VITA.

Christus S. Catharinæ Senensi dicebat: Quanto magis morieris in te, tanto magis vives in me: et quo purgatius ejicies, quod tuum est, tanto abundantius ipse reponam, quod meum est. In Dial.

Idem Christus S. Francisco dicebat: me desideras; amara tibi dulcia, dulcia amara sunt.

DIGNITAS. — S. Chrysostomus ait plus præstitisse Davidem, non sumendo vindictam de Saule, cum potuisset, quam Goliathum sternendo: nec tam multas in ipsius occursum egressas mulieres cantantes, quam in cœlis Angelorum turmæ magnitudini ejus applauserint. ROD., p. II, tr. I, c. ult.

Putarchus Alexandrum Magnum supra

alios omnes mundi Monarchas extollit, quando alii Monarchæ nati sunt, hic vero regna, et imperia suis lacertis, et armis comparavit. S. CHRYS., h., de David et Saule.

O quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere, felicissimosque se judicant, si multas per milites provincias obtinent, et novas veteribus adjungunt, ignari, quod sit illud ingens paratumque regnum. RODR., p. II, tr. I, c. XVII. Imperare sibi, maximum imperium est. SENECA, ap. 113.

JUCUNDITAS. — S. Abraham convivium fecit, non in die Nativitatis, sed ablaetationis; quo indicare voluit Deus, tunc demum solidæ veræque lætitiæ locum esse quando homo in virum perfectum crescit, et desinit esse inter eos, de quibus Apostolus ait: Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi. S. AUG., sup. Gen. 21, q. 50.

Hoc commentemur, mihi crede, disjungam usque nos a corporibus, id est, consuescamus mori (nobis ipsis). Hoc, et dunt erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile. Et cum illac emissi feremur e vinculis, minus tardabitur cursus amicorum. CIC., l. I, Tusc. 1.

AXIOMATA.

Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. THOM. KEMP., l. I, c. XXV.

Major sum, et ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. SENECA, ap. Rod. 2, p. II, tr. I, c. XIX.

Si vis perfectam bene discere Philosophiam,

Omnibus abstineas, omnia sustineas.

Si vis perfectam condiscere Theologiam,

Sit tibi mors mundus: sit tibi vita Deus,

Imperare sibi maximum est imperium. SEN., ep. CXIII, juv.

Tunc omnia jure tenebis, si poteris Rex esse tui. WIDO, de Tranquil. anim., in Dial. Tantum virtuti adjicies, quantum voluptati detraxeris. S. CATH. SEN.

Tantum quisque vivit Deo, quantum moritur sibi.

Maxima, quæ minimo victoria sanguine parta est.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. II, tr. I, toto. Franciscus Arrias, in 3 Tractatibus spiritualibus, tr. III.

Julius Fatus de Mortificatione.

Jacobus Alvarez, tom. II, lib. II, toto.

Jeremias Drexel, in Rosis Marianis, p. II, c. X.

Lucas Pinellus, de Perfect., l. III, c. VII.

Bernardinus Rosignolius, de Disciplina Christ. Perfectionis, l. II, c. IX et seqq.

Joannes Busæus, in Panario. V Immortificatio Passionum.

Hugo Rott., in via Regia, p. I, c. VII, s. 6, et p. II, c. XIX.

Cassianus, collat. 24, Instit. spirit.

Josephus Mansi, Bibl. mor., tr. LI.

MULIER.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est homo ad liberos passive procreandos a Deo creatus; per hanc enim passivam generationem (saltem in actu primo) distinguitur mulier a viro, quod a fortiori locum habet in ea medicorum sententia, qui solum virile semen ad generationem necessarium esse contendunt.

DIVISIO. — Dividitur in *Calibem* seu *solutam*, quæ nulli unquam viro nupta fuit: *Conjugatam*, quæ vinculo Matrimonii actu illigata est: et *Viduam*, quæ per mortem mariti a conjugii vinculo soluta est.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Virum de mille unum reperi (perfectum intellige, et præditum) mulierem ex omnibus non inveni. ECCL., VII, 29.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur. PROV., XXXI, 30.

Mulieres in habitu ornatu, cum verecun-

dia et sobrietate ornantes se, et non in tor-tis criminibus, sed quod deceat mulieres, promittentes pietatem per opera bona. I TIM., II, 9.

Mulier sensata, et tacita non est immutatio eruditæ animæ (id est, non est ullo pretio comparabilis). ECCL., XXVI, 18.

Gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata. IB., XIX.

Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. PROV., XXXI, 10.

Mulieres subjectæ sint viris suis, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris. EPHES., V, 22.

Mulier non permitto dominari in virum, sed esse in silentio. I TIM., II, 12.

Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. GEN., III, 17.

Non induetur mulier veste virili, abominabilis enim est apud Deum, qui hæc facit. DEUT., XXII, 5.

UTILITAS. — Qui invenit mulierem bonam invenit bonum et hauriet jucunditatem a Domino. PROV., XVIII, 22.

Mulieris bonæ beatus vir, nam numerus dierum ipsius conduplicatur. Mulier fortis oblectat virum suum, et annos vitæ illius in pace implebit. ECCL., XXVI, 1.

Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Dominum dabitur viro pro factis suis.

Noli discedere a muliere sensata, et bona, quam sortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius super aurum. IB., VII, 12.

Sapient mulier ædificat domum suam: insipiens extractam quoque manibus destruet. PROV., XIV, 1.

DAMNUM. — Inveni amariorem morte mulierem; quæ laqueus venarum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est capietur ab illa. ECCL., VII, 25.

Brevis omnis malitia super malitiam mulieris. Sors peccatorum cadat super illam. IB., XXV, 16.

De vestimentis procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. IB., XLII, 13.

A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur. IB., XXV, 33.

Vinum, et mulieres apostatate faciunt sapientes, et arguent sensatos. IB., XIX, 8.

Melior est iniquitas viri, quam mulier

benefaciens et mulier confundens in opprobrium. IB., XLII, 41.

FUGA. — Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur planta ejus; sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. PROV., I, 27.

In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. ECCL., XLII, 12.

Commorari leoni, et draconi placebit magis, quam habitare cum muliere nequam. IB., XXV, 23.

Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. ECCL., IX, 8.

Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. PROV., V, 3.

Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris. ECCL., IX, 2.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Quid est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta, et pudica. Pulchritudo autem sine his virtutibus est præcipitium patens, venenum insipientibus compositum. S. CHRYS., sup., ps. L.

Habitare cum femina, et non cognoscere feminam plus est, quam mortuum ad vitam suscitare. Quod minus est, non potes: quod majus est, vis, credam tibi? S. BER., s. 63, in Can.

Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminae viris: quia et illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori? et hæc in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut, qui excellunt ratione, excellent dominatione. S. AUG., e. CLIII, in Genes.

Mulier pulchra cito adamat, facile concupiscitur, difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur, minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. S. AUG., in Epist.